

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Terentius,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope
innumerabilibus|| emendatus.||**

Terentius Afer, Publius

Venetiis, 1558 [erschieden] 1559

Aelii Donati In Andriam Terentii Praefatio.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-723936)

AELII DONATI IN

ANDRIAM TERENTII

PRAEFATIO.

C OMOEDIA Andria, cum palliata sit, de loco nomen accepit, & à Menandro prius, et nunc ab ipso Terentio: qui cum de Chryside loqueretur, sic ait:

Hei uereor, ne quid Andria adportet mali.

& hoc commune uocabulum est & in græca, & in latina lingua. hæc maiori ex parte motoria est, continetq; actus amatorum adolescentium, & patrum piorum. callidi serui, astutæ ancillæ, seueri senes, adolescentuli liberales. in hac primæ partes senis Simonis sunt, secundæ Dauis, tertiæ Chremetis, & deinceps reliquorum. prologus in hac acer inducitur, & in aduersarios non mediocriter exasperatur; sed tamen id subtiliter, ut omnia laceffitus facere uideatur, ac dicere. hic protasis subtilis, epitasis tumultuosa, catastrophe pene tragica: & tamen repente ex his turbis in tranquillum peruenit. Hæc prima acta est ludis Megalensibus, M. Fuluius & M. Glabrione ædilibus curulibus. egerunt L. Atilius Latinus Prænestinus, & L. Ambinius Turpio: modos fecit Flaccus Claudij, tibijs paribus dextris & sinistris. & est tota græca, edita M. Marcello, & C. Sulpicio cos. pronunciataq; est Andria Terentij, ob incognitum adhuc nomen poetæ, & minoris apud populum auctoritatis, ac meriti. Diuerbijs & canticis

Protactica persona

tiis lepide distincta est: & successu spectata pro-
spero, hortamento poetæ fuit ad alias conscribendas.
initium autem $\text{πρωτατικὸν πρόσωπον}$, id est aduenti-
ciam personam recepit Sosia, propter euoluendam ar-
gumenti obscuritatem. persona autem protatica ea
intelligitur, quæ semel inducta in principio fabulæ,
in nullis deinceps fabulæ partibus adhibetur. Adno-
tandum sane, puellarum liberalium nullam oratio-
nem in proskenio induci in comoedia palliata, præter
inuocationem Iunonis Lucinæ: quæ & ipsa quoque
post scenam fieri solet.

EIVSDEM ARGUMENTVM

IN EANDEM.

HERMES Atticus, pater Pasibu-
 lae & Philumenæ, cum ex his dua-
 bus se Pasibulam perdidisse falso cre-
 deret, relictam Athenis, nec uisam
 postea multo tempore, tanquam uni-
 cam sibi putabat Philumenam, quam Charinus ado-
 lescens Atheniensis adamabat unice, & sibi petebat
 uxorem. sed pater eam Pamphilo cuidam Simonis fi-
 lio ultro desponderat. qui Pamphilus contra sororem
 Chrysidis ac peregrinam tum creditam Pasibulam su-
 pra dictam, alteram Chremetis filiam, sub nomine
 Glycerij latenter sic amavit, ut ex ea filium suscepisset
 inscio patre. qua re intellecta, commotus Simo pater
 Pamphili, dum per falsas nuptias tentat animum
 Pamphili, multis dolis à Dauo ipse deluditur seruo,
 periculoq; Charini & Pamphili motus error in fabu-
 la: qui usque ad eum finem ductus est, dum Athenas
 ueniens Andrius quidam Crito rem aperiat, & no-
 dum fabulae soluat: per quem agnita Pasibula recipi-
 tur à parentibus, & traditur Pamphilo amanti: Phi-
 lumena uero Charino despondetur, & traditur exo-
 ptanti. Perspecto argumento, scire debemus hanc esse
 uirtutem poeticam, ut à nouissimis argumenti rebus
 incipiens, initium fabulae & originem narratiue red-
 dat spectatoribus, auctoremq; praesentem sibi exhibeat,
 ubi finis est fabulae. hunc enim ordinem & cir-
 culum